



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Jacobi Usserii Armachani Annales Veteris Et Novi Testamenti**

**Ussher, James**

**Lutetiæ Parisiorum, 1673**

VI. In dato anno Macedonico vel Asiano Paschalem Dominicam, &  
Montanistarum & Alexandrinorum, designare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14425**

Anno Periodi Julianæ 4391. *Διαστήματα 38109-109*, sive mensis Macedonici 8. die 28. Alexandrum M. vitam finisse alibi ostendimus. Erat ille, (juxta præcedentem Regulam) Macedonicæ epochæ annus 14. qui per 4. divisus, in Quoto ultra 3. integros numeros etiam exhibet. Quod cum anni ordinarii sit indicium; ex interiore lineâ 22. Maii diem, ut 28. diei mensis 8. Macedonici respondentem, assumendum esse pronuntio.

Jam si in anno æræ Christianæ 672. quaratur, cui diei Juliano dies 2. mensis 8. Macedonici sive Asiani respondeat: esse eum Macedonicæ epochæ annum 1008 (ex eadem præcedente Regulâ) intelligo. Is numerus (millenario, si libuerit, neglecto) per 4. divisus, ultra numerum integrum, partem nullam in Quoto relinquit. Quæ cum anni intercalaris certa nota sit: ex lineâ extimâ 25. diem Aprilis quaesito diei Macedonico vel Asiano respondere assero.

III.

*Dato anno Macedonico, Cyclum Solarem, invenire.*

Diviso per 28. Macedonicæ epochæ anno dato: si quid ultra integros numeros in Quoto reliquum fuerit, Cycli Solaris index erit; sin nihil superaverit, 28. pro quaesito anni Cyclo erit assumendus.

Ita in exemplis præcedentibus; annus epochæ Macedonicæ 14. per se indicat esse ipsum Cycli Solaris 14. annus vero 1008. per 28. divisus, in Quoto 36. exhibet, integrum numerum, sine fractione ullâ adjectâ. Fuit igitur Cycli Solaris 28. & ultimus.

IV.

*Dato Cyclo Solari, literam diei Solis sive Dominicam, & per eam ferias hebdomadicas totius anni Macedonici sive Asiani, invenire.*

Literam diei Dominicæ, sive primæ feriæ Hebdomadicæ, in Macedonicâ Ephemeride indicem, cuius Cycli Solaris anno congruentem, sequens monstrat Tabella: à literâ C. inchoata; quia, primo anno Macedonico à feriâ sextâ incipiente, tertius ejusdem dies, in Ephemeride literâ C. signatus, in feriam primam, sive diem Solis incidit. Quartus verò quisque Cycli annus, in Tabulâ hic notatus, Intercalaris esse intelligitur.

In anno Macedonicæ epochæ 1008. qui (per præcedentem Regulam) Cycli Solaris 28. inventus est, dies 2. mensis 8. Dominica Paschalis fuit. Anno Cycli 28. litera E. responder, quæ eadem diem 2. mensis 8. in Ephemeride Macedonicâ & Asiâ apposita, feriam primam sive diem Dominicum eum esse indicat.

Polycarpum anno æræ Christianæ 169. mensis Asianorum 7. die 2. in magno Sabbato; Pionium anno æræ ejus-

dem 251. mensis Asianorum 7. die 12. eodemque Sabbati, martyrium subisse, in c. III. declaravimus. Ad annum æræ Christianæ 169. additis (juxta primâ Regulam) 339. exurgit Macedonicæ epochæ annus 505 qui per 28. divisus (ex tertie Regulæ præscripto) in Quoto, ultra integrum numerum 18. etiam 1. exhibet; anni 1. Cycli Solaris, & cum eo literæ Dominicalis C. in Tabulâ conjunctâ, indicem. Inspectâ deinde anni Macedonici & Asiani Ephemeride, 7. mensis diei 2. literam B. appositam invenio: quæ cum in circulo hebdomadico locum à C. septimum obtineat, feriam septimam sive Sabbati diem esse illum significat.

Similiter, ad annum æræ Christianæ 251. additis 336. prodit Macedonicæ epochæ annus 587. qui per 28. divisus, præter numerum integrum 20. etiam 17. in Quoto relinquit: quod indicio est, esse annum illum Cycli Solaris 27. cui litera Dominicalis F. respondeat. Inspectâ verò Ephemeride, mensis 7. dies 12. literâ E. signatus reperitur: quæ cum in serie hebdomadicâ ab F. feriæ 1. indice, ordine sit 7. feriam quoque 7. sive Sabbaticam diem esse illum confirmat.

V.

*Dato anno Macedonico sive Asiano, Cyclum Lunarem invenire.*

Dividatur annus datus per 19. si præter integros Quoti numeros reliquus fuerit aliquis alius, is Cycli Lunaris quaesitus erit numerus: si nullus, 19. erit. Ita annus ille Macedonicæ epochæ 1008. per 19. divisus, præter integrum numerum 53. etiam 1. in Quoto exhibet. Utcigitur Cycli Solaris erat ille postremus, ita Cycli Lunaris deprehenditur esse primus. Enneadecæteridis, inquam, ab æræ Macedonicæ exordio numeratæ, primus; Alexandrinæ verò, ab ærâ Diocletiani deductæ, octavus.

VI.

*In dato anno Macedonico vel Asiano Paschalem Dominicam, & Montanistarum & Alexandrinorum, designare.*

Montanistis, Solares rationes tantum spectantibus, septimi mensis (quem illi primum appellabant) vel 14. dies semper Paschalis erat si is esset Dominicus, vel primus Dominicus dies qui eum sequebatur: quemadmodum in II. capite declaravimus. Qui verò propriè dictam Asiâ incolebant Orthodoxi, Lunari quoque calculo adhibito, cum reliquis Orientalibus Paschales Alexandrinorum Terminos respiciebant: Lunas videlicet 14. quæ vel in Martii diem 21. (quo vernum Equinoctium, ex Nicænorum Patrum sententiâ, fieri credebatur) incurrebant, vel eum proximè insequerantur. Ejusmodi. in annis ordinariis, mensis VI. & VII. dies illi erant, quos, simul cum hebdomadicis suis literis ex Ephemeride descriptis, unicuique Lunaris Cycli anno in subjectâ Tabulâ apposuimus: nam in intercalaribus, dies notatum proximè sequens est semper assumendus.







